

terea emolumentum non Deo, qui operibus nostris non indiget, sed nobis provenire, et quidem ex gratuita ac liberali promissione Dei de aeterna mercede ipsis bonis operibus retribuenda. Ceterum Apostolus, II Timoth. II, 21, scribit: *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et UTILE Domino*; et Christus ipse, Matth. XXV, 23, dixerat: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* (1).

Ad 2, Neg. Ad prob. Dist. Et loquitur Propheta de peccatis ac fictitiis Judaeorum justitiis, ob quas puniebantur, *conc.*; loquitur de bonis justorum operibus, *neg.* Antea enim dixerat: *Occurristi letanti et facienti justitiam*; deinde immediate post objecta verba subdit: *Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos* (2).

Obj. tertia. 1° Christus meruit nobis vitam aeternam. 2° Ergo vel Christi merita per se sufficiunt, vel non sufficiunt; si ea dicamus sufficere, frustra igitur

(1) Cfr. Maldonatus in objectum textum ex Luc. XVII, 10, ubi contendit hunc esse sensum illorum verborum: *Cum feceritis omnia, etc.* non quidem nihil praceptorum observatione meruisse; sed nihil meruisse praeter mercedem, quae praceptorum observationi respondet. Vult igitur Christus non gloriarī nos, cum praepcepta servavimus; quia, etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium et eximium fecimus, nihil quod non quilibet servus facere debuerit. Nec tam est laudabile, quod id fecerimus, quam vituperabile esset, si non fecissemus. Non solent laude gloriaque videre digna, nisi quae egregia et singularia sunt. Quae quidem fuisse ibidem prosequitur, et omnes Calvinianorum technas dissolvit. Ostendit praeterea adversus Calvinum, ibi non agi de mancipio, sed de servo mercenario seu conducto, qui operatur pro pacta mercede. Cum tamen Kunoelius Calvini vestigiis insistens contendat, in parabola sermonem non esse de mercenario, de aratore aut bubulco conductio, sed de mancipio, ceteris omissis, juverit ipsum refellere ex ipsa voce δούλος, prout a Graecis usurpabatur. Si enim δούλος esset servus emptitius aut mancipium, non dixisset Sophocles, *Oedip. T. 1123: Sane servus non emptus, sed domi educatus, etc.*, neque Thucydides, 8, aperte distinguit: *omnia mancipia et servi et liberi*; immo vero Scholiastes Theocriti, v. 5, ex Chrysippo docet, etiam ἀπειλευθέρους seu libertos vocari δούλους, servos. Igitur δούλος nihil aliud est quam servus, ita ut ejus correlativus sit δεσπότης, herus, et opponatur quidem plerumque voci ἐλευθέρους (I Cor. XII, 13), sed mancipium minime unquam sit; hoc enim graece dicitur ἀνδραπόδων; unde derivatur ἀνδραποδιστής, plagiarium seu mancipii venditor (I Timoth. I, 10), et apud alios Scriptores graecos ἀνδραποδιστής, mancipiorum emptor. Haec ideo adnotavimus, quia haeretici inde 1° colligebant, nullam nos mereri mercedem ob bona opera cum gratia patrata, prout nulla rependitur merces mancipio; 2° colligebant, nullum opus, ut dicitur, supererogationis a nobis elici posse, cum nullum sit prorsus opus bonum, quod Deo non debeatur, quia sunt opera mancipiorum respectu dominorum suorum.

(2) Cfr. Sanctius in hunc loc. qui censet, nihil aliud significari hoc dicendi genere proverbiali, quam foetere Judaeorum sacrificia, quae justitiae vocantur, apud Deum, et ipsum ad illam fucam sanctitatis speciem nauseare non aliter quam ad ea, quae propter foeditatem aversantur oculi, aut propter amaritiam et eraditatem fastidit stomachus. Cfr. etiam Rosenmüller.

requiruntur opera nostra; si dicamus non sufficere, injuriam irrogamus Christo. 3° Vel saltem inde sequeretur, nos gloriam dividere inter Christum et homines, si praeter ejus merita nostra etiam requireremus ad vitam aeternam obtinendam.

Resp. ad 1, Dist. Christus meruit nobis vitam aeternam, concedendam tamen nostrae cooperationi per opera meritoria, *conc.*; absolute absque nostra cooperatione, *neg.* Nam Christus non eo sensu meruit nobis vitam aeternam, ut nos nihil praestare deberemus; sed eo sensu meruit, ut nobis compararetur gratias, quibus cooperantes applicaremus nobis merita ipsius, et hac ratione opera nostra efficerentur meritoria, ut suo loco ostendimus, disserendo de ipsius Christi satisfactione.

Ad 2, Respondeo, sufficere Christi merita et non sufficere sub diverso respectu. Sufficiunt quoad se, cum Christus superabundanter et cumulatissime pro nobis meruerit ac satisfecerit; non sufficiunt quoad nos ex positiva Dei voluntate, qui noluit, ut Christi merita nobis prodesse, nisi accederet cooperatio nostra. Tantum vero abest, ut inde detraheretur meritis Christi, quin potius maxime commendetur eorum efficacia, qua non solum obtinuit nobis jus vitae aeternae, sed etiam vim et virtutem merendi. Hinc quemadmodum nihil detrahitur de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant; imo quo uberiores fructus palmites ferunt, eo magis laudanda est vitis, quia quidquid vivi succi et humoris habent palmites, totum ex ea habent; ita nihil detrahitur de gloria meritorum Christi per merita nostra, quae ab ipsis procedunt; sed potius merita Christi per merita nostra etiam atque etiam commendantur (1).

Ad 3, Neg. Nam nulla prorsus essent merita nostra, nisi gratia Dei nos praeveneret et adjuvaret. Merita enim nostra dona sunt Christi, ut superius exposuimus juxta doctrinam Concilii Tridentini (2).

Obj. quarta. Patres passim docent, vitam aeternam gratis nobis a Deo donari, ut S. Basilii; nulla item esse merita nostra, ut S. Hilarii, et S. Augustini, alique cum ipsis (3). Ergo.

Resp. Neg. antec. Nam Patres vel loquuntur de gratuito principio meritorum nostrorum, nempe de gratia et gratuita Dei promissione, vel de meritis naturalibus adversus Pelagianos, vel de nulla proportionem durationis, ut mox dicemus.

Obj. quinta. 1° Ad verum meritum requiritur proportio inter opus et mercedem. Atqui inter opera justorum et vitam aeternam nulla est proportio, dicente Apostolo, Rom. VIII, 48: *Non sunt condignae passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. 2° Nemo praeterea potest Deum

(1) Cfr. Bellarm. loc. cit.

(2) Hinc patet, stulte prorsus Calvinum debacchatum esse in Magistrum Sententiarum, quod honorum operum meritum commendaverit; sic enim, *Inst. lib. III, cap. 5, 843, scribit: Quis non merito tales bestias excretur?... O magistrum talibus dignum discipulis, quales in insanis rabularum scholis nactus est!*

(3) Apud Bellarm. loc. cit. cap. 6.

super omnia et perfecte diligere. Ergo nemo potest mereri.

Resp. ad 1, Dist. min. Nulla est inter opera justorum et gloriam aeternam proportio durationis et aequalitatis rei ad rem, qualem exigit justitia commutativa, *conc.*; nulla est proportio dignitatis et meriti, supposita promissione, qualem exigit justitia distributiva, *neg.* Etenim inter opera ex gratia sanctificante facta et gloriam ea intercedit proportio, quae adest inter semen et arborem, praesertim si attendatur ad gratuitam Dei promissionem (1). Quare S. Augustinus asserit: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promissisti, quia fecimus quod jussisti; et hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti* (2).

Ad 2, Neg. Siquidem per Dei gratiam tria illa praestare possumus, quae ad accuratam praepcepti dilectionis divinae observantiam requiruntur: nempe 1° ut Deum omnibus praefereamus; 2° ut nihil nisi in ordine ad Deum diligamus; 3° ut ad majorem semper in Dei amore perfectionem eluctemur (3).

CAPUT III.

DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS.

Alias statuunt conditiones ad meritum requisitas Novatores, alias Catholici. Novatores, ut sibi viam sternant ad omne meritum nostrum eliminandum, has quatuor ad meritum constituendum conditiones effingunt et exposcunt: 1° ut opus debeat esse perfectum seu omnibus numeris absolutum, purum propterea a quacumque imperfectionis naveo; 2° ut nullo titulo sit debitum; 3° ut nostrum sit et non alienum, seu gratia partum; 4° ut proportionem habeat aequalitatis cum mercede. Catholici e converso, rejectis his conditionibus, quibus positus omnis meriti ratio ab operibus nostris tolleretur, alias enumerant conditiones ad opus meritorium constituendum, quarum aliae certae sunt et ab omnibus admittae, aliae in controversiam vocantur.

Ac primo quidem, supposita distinctione inter meritum proprie dictum seu *de condigno* ac meritum improprie dictum seu *de congruo*, alias assignant conditiones ad meritum de condigno, alias ad meritum de congruo, sive ex parte operantis, sive ex parte operis; sive ex parte retribuentis, quas breviter referemus.

Ad meritum de condigno ex parte operantis duae conditiones essentialiter requiruntur: 1° ut sit viator; 2° ut sit justus seu in statu gratiae.

Quod qui meretur debeat esse viator, nullum dubium esse potest, dicente Christo, Joan. IX, 4: *Venit nox, quando nemo potest operari*; et Apostolo, Gal. VI, 10: *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Hinc monebat Ecclesiastes, IX, 10: *Quodcumque*

(1) Cfr. S. Thom. 1-2, q. 114, art. 1, 2, 3 et 4, ubi totum hoc argumentum egregie evoluit, ac omnes difficultates Novatorum praecipue ac solvit.

(2) Serm. CLVIII, al. XVI, *De verbis Apost. cap. 2, n. 2.*

(3) Cfr. Maldon. in cap. XVII, 10, S. Luc.

potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

De statu gratiae, quae requiritur ad meritum, constat ex verbis Christi, Joan. XV, 4: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*; et ex verbis Apostoli, I Cor. XIII, 3: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Hinc merito confixae fuerunt a S. Pio V, et Greg. XIII sequentes Baji propositiones, XII: *Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est opus regni caelestis meritorium*; XIII: *Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientiae*; XVII: *Sentire cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum* (1).

Ex parte operis tres conditiones necessario requiruntur ad verum meritum: 1° ut sit liberum a necessitate; 2° ut sit bonum et honestum; 3° ut sit supernaturale et quoad entitatem, seu essentiam, et quoad motivum seu finem.

Quod attinet ad primam conditionem, est de fide, ut patet ex damnata ut haeretica propositione Jansenii: *Ad merendum, etc.* ut suo loco ostendimus (2).

Circa secundam ratio aperta est, quia nihil potest esse praemio ac mercede dignum apud Deum, qui sanctus est, nisi sit rectum, bonum ac ipsi gratum. Opus porro bonum ac honestum illud censetur, quod tale est ex parte objecti, finis ac circumstantiarum omnium, juxta ritum illud axioma a Theologis omnibus adoptatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

Necessitas tertiae conditionis eruitur ex disceptatis adversus Pelagianos, contra quos ostendimus, opus supernaturale constitui ex parte principii, gratiae nempe actualis, atque ex parte finis, seu motivi, quod referatur scilicet in Deum tanquam auctorem supernaturalis ordinis, ut habeat aequalitatem proportionis cum gloria (3).

Haec certa sunt apud omnes. Sed his conditionibus plures Theologi addunt et aliam; ut scilicet opus

(1) Apud Hard. *Acta Concil. tom. x, col. 1267.* Origo harum propositionum repeti debet ex Baji principio, quod justitia originalis fuerit primo homini naturalis, eique debita.

(2) In Tract. *De Deo Creat.*

(3) Cfr. S. Thom. loc. cit. art. 1, tum art. 2, ubi inter cetera ita scribit: *Vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus, secundum illud I Cor. 2: Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquid supernaturale donum, quod gratia dicitur.*

eliciatur ex imperio charitatis, juxta verba Jac. I, 12: Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, QUAM REPRO- MISIT DEUS DILIGENTIBUS SE. Talis est etiam sententia S. Thomae, 1, 2, q. 114, a. 4 (1) Alii tamen, ut inuimus, refragantur (2).

Denique ex parte Dei retribuendis requiritur repro- missio. Hinc est, quod in Sacris Litteris vita aeterna sub generico promissionis nomine passim designetur. Apostolus enim, Heb. VI, 12, ait: Fide et patientia hereditabunt promissiones; et ibid. X, 36: Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, re- portetis promissionem. Atque id declaravit Tridentina Synodus, sess. VI, cap. XVI; et sane hanc condi- tionem exposcit ipsa natura mercedis, quae non redditur nisi ex pacto.

Ad meritum de congruo fallibili omnes recensita conditiones requiruntur praeter statum gratiae et promissionem ex parte Dei (3).

CAPUT IV.

DE OBJECTO MERITI.

Duo sunt, quae cadunt sub meritum, gratia et gloria. De gloria jam ostendimus, eam una cum ejus augmento cadere sub meritum de condigno in ho- mine justo per opera in Deo facta.

Ad gratiam quod spectat, haec certa sunt:

1° Primam gratiam, actuale nempe, nullo modo cadere sub meritum, ut ex dictis constat adversus Pelagianos ac Semipelagianos (4).

2° Gratiam sanctificantem pariter non cadere sub meritum de condigno, ut superius diximus; cum ex Apostolo, Rom. III, 24, nos simus justificati gratis per gratiam ipsius; et aperte idem declarat Tridentinum, sess. VI, cap. VIII.

3° Hominem justum posse promereri de condigno augmentum gratiae sanctificantis, ut definit Synodus Tridentina, eadem sess. can. XXXII. Quod si justus potest mereri augmentum gratiae sanctificantis, hoc ipso per justificationem acquirit jus ad gratias actua- les, quae necessariae sunt ad opera bona perficienda, ex quibus illud augmentum pendet.

4° Posse hominem peccatorem promereri de con- gruo infallibili, stante divina promissione (5), primam

(1) Meritum, inquit, vitae aeternae primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secun- dum quod earum actus a charitate imperantur. Similiter etiam manifestum est, quod id, quod ex amore faci- mus, maxime voluntarie facimus; unde etiam secundum quod ad rationem meriti requiritur, quod sit volunta- rium, principaliter meritum charitati attribuitur.

(2) Vasquez, loc. cit.

(3) Cfr. Bellarm. De justic. lib. v, cap. 12, et cap. 14. Cfr. etiam Vasquez, in 3 part. q. 94, art. 1, dub. 4: Idem dicimus, scribit, meritum de congruo, quod impetratorium opus, impetratorium meritum, quod de congruo dici solet; meritum de congruo illud est, quod impetrat illud, cujus est meritum; meritum congruum in sola impetratione consistit.

(4) Cfr. praeterea S. Thom. 1, 2, q. 114, a. 8.

(5) Cum superius diximus, a Theologis excludi a no- tione meriti de congruo divinam promissionem, ut patet, id intelligi debet de merito congruo in genere seu fallibili.

gratiam sanctificantem per contritionem perfectam et actum dilectionis Dei super omnia tanquam per ulti- mam dispositionem ad eandem infallibiliter conse- quendam, juxta illud quod saepe retulimus S. Augu- stini dictum: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei (1).

Disputatur autem inter theologos: 1° Utrum ju- stus possit mereri sibi veniam post culpam; 2° Utrum sibi praeterea possit mereri perseverantiam finalem; 3° Utrum demum justus possit alteri mereri primam gratiam.

Jam vero ad primum quod attinet, certum est de condigno non posse quempiam sibi id promereri, ne- que etiam quempiam id posse de congruo infallibili, cum nulla habeatur divina promissio, et per pecca- tum amittatur omne jus ad recuperandam gratiam; an vero id possit justus per meritum de congruo fal- labili, communior sententia affirmat cum Bellar- mino (2). Videtur certum, posse saltem justum sibi hanc reparationem precibus impetrare ad instar Da- vidis, qui, Ps. LXX, 9, orabat: Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me (3).

Ad alterum eadem fere ratione respondemus, quia nuspium promittitur justis perseverantiam concedenda tanquam merces; quinimo Scripturae exhortantur fi- deles, ut cum timore et tremore salutem suam ope- rantur, ut videant, ne cadant, et satagent, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant. Id ipsum sancivit Synodus Tridentina, sess. VI, can. XVI, quem superius retulimus. Communis tamen Theologorum doctrina est, posse justum perse- verantiam de congruo fallibili mereri, juxta tritum illud Augustini effatum: Hoc Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter non potest (4).

Quoad tertium denique inter theologos catholicos convenit, neminem, excepto Christo, posse alteri de condigno promereri primam gratiam; cum hoc mu- nus proprium sit Salvatoris ac Redemptoris nostri, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris. Com- munis nihilominus sententia Catholicorum est post S. Thomam (5), posse justos alteri obtinere merito de congruo fallibili primam gratiam. Quare S. Jacobus, cap. V, 16, sic fideles hortatur: Orate pro invicem, ut salvemini. Nec desunt exempla conversionum, quae factae fuerint ad aliorum preces, qualis perhibetur S. Pauli, quem Stephani precibus Patres conversum tradunt, et S. Augustini, quem piis lacrymis S. Mo- niceae ad meliorem frugem revocatum Ecclesia pro certo sumit.

Haecenus de gratia, de eo nempe caelesti munere, quo Deus per Christi merita gratia nos praevenerit, quo operatur in nobis velle et perficere pro bona volun- tate, cui nos libere assentiendo consortes efficiuntur

(1) Epist. clxiv, loc. cit.

(2) De Justic. lib. v, cap. 21, n. 5.

(3) Cfr. S. Thom. 2, 2, q. 186, n. 10.

(4) De dono persev. cap. 3, n. 10.

(5) 1, 2, q. 114, a. 6.

divinae ipsius naturae, ut fructus uberiores in dies emittendo ad futuram gloriam pervenire contenda- mus, quae revelabitur in nobis. Quam ut assequamur,

a Deo enixe efflagitandum est, ut haec gratia sua sem- per nos praevenerit et sequatur, ac bonis operibus praestet jugiter esse intentos.

INDEX RERUM

QUE IN HOC TOMO PRIMO CONTINENTUR.

TYPOGRAPHUS LECTORI pag. 10
LECTORI BENEVOLO. ibid.
PROLEGOMENA IN PRÆLECTIONES THEOLOGICAS. Col. 11-12
§ I. Theologicæ notio, o, erisque prospectus. 11
§ II. Fontes ad hanc elucubrationem adhibiti. 13
§ III. Methodus et institutum. 12
§ IV. Scribendi ratio. 16
TRACTATUS DE VERA RELIGIONE. 17-18
PARS PRIOR ADVERSUS INCREDULOS. ibid.
CAPUT I. DE DIVINÆ REVELATIONIS POSSIBILITATE. 19
PROP. I. Possibilis est divina revelatio immediata. 20
DIFFICULTATES. ibid.
PROP. II. Possibilis est divina revelatio mediata. 21
DIFFICULTATES. 22
PROP. III. Possibilis est revelatio illarum veritatum, quæ mentis nostræ captum excedunt, seu est possibilis mysteriorum revelatio. 25. DIFFICULTATES. ibid.
CAPUT II. DE REVELATIONIS NECESSITATE. 28
PROP. I. Ex eo, quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absur- dos contra sane ethices principia errores delapsus non fuerit, jure inferitur divinae supernaturalis revelationis necessitas. 30. DIFFICULTATES. 32
PROP. II. Ex eo, quod nulla humana sapientia aut in- dustria populus revelatione destitutus revocare valuerit ab universalis illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursum inferitur divinae ac supernaturalis revelationis necessitas. 33. DIFFICULTATES. 37
PROP. III. Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non præbeat ad homines in officio continentis atque a vitiiis retrahendos, iterum necessitas jure inferitur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, quæ naturali rationis lumine cognosci possunt. 40
DIFFICULTATES. 44
CAPUT III. DE NOTIS DIVINÆ AC SUPERNATURALIS RE- VELATIONIS. 46
ARTIC. I. De miraculis.
PROP. I. Miracula suntabilia. 49
DIFFICULTATES. 50
PROP. II. Miracula certissimam notam exhibent ad di- gnoscentiam divinam ac supernaturalem revelationem. 53
DIFFICULTATES EX RATIONE. ibid.
DIFFICULTATES EX DEMONUM EFFICACIA. 57
DIFFICULTATES EX HISTORIA. 59
DIFFICULTATES EX DEFECTU CERTITUDINIS. 65
DIFFICULTATES EX INTIMA HOMINIS VI ET EFFICACIA. 68
ARTIC. II. De prophetia. 72
§ I. De prophetia possibilitate. 75
PROP. I. Prophetia est possibilis. ibid.
DIFFICULTATES. 75
§ II. De vi et efficacia prophetiæ ad ostendendam divi- nitatem revelationis. 71
PROP. I. Prophetia est certissimum divinae ac supernatu- ralis revelationis argumentum. 73
DIFFICULTATES. ibid.
DIFFICULTATES EX ETHNICORUM VATICINIIS. 82
CAPUT IV. DE EXISTENTIA DIVINÆ AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS. 88
PROP. I. Christus miraculis et vaticiniis, præsertim vero sua a mortuis resurrectione divinam sui missionem comprobavit, seu divina facta est ac supernaturalis in Novo Testamento per Christum revelatio. 89
DIFFICULTATES ADVERSUS CHRISTI MIRACULA ET VATICI- NIA. 93
DIFFICULTATES CONTRA CHRISTI RESURRECTIONEM. 100
PROP. II. Doctrinæ evangelicæ excellentia et sanctitas divinam ac supernaturalem Christi missionem invictissime confirmat. 109. DIFFICULTATES. 115
PROP. III. Admirabilis christiana religionis propagatio in omnibus suis adjunctis spectata ineluctabile pariter sup- peditat divinæ ac supernaturalis Christi missionis argu- mentum. 130. DIFFICULTATES. 133
PROP. IV. Conservatio Christianæ Religionis in omni- bus suis adjunctis spectata non minus certum divinae ac supernaturalis Christi missionis suppeditat argumentum. 139
DIFFICULTATES. 143
PROP. V. Christianorum martyrum testimonium, omni- bus ejus adjunctis perpensis, validissimum etiam est divinae ac supernaturalis Christi missionis argumentum. col. 146
DIFFICULTATES. 151
Conclusio prioris partis. 160
PARS POSTERIOR ADVERSUS HETERODOXOS. 163-164
PROP. I. Validissima rationes ostendunt, de via ordi- naria divinam revelationem ab auctoritate divinitus insti- tuta atque infallibili custodiri, atque propiè debere. 163
DIFFICULTATES. 167
PROP. II. Sola Ecclesia a Christo instituta instructa est hac infallibili auctoritate. 170. DIFFICULTATES. 174
PROP. III. Sola proinde Ecclesia est custos et interpres in alibiis divinae revelationis, sive viva voce per traditi- nem transmissæ sive litteris consignatæ. 177
DIFFICULTATES. 179
PROP. IV. Ecclesia Christi est una, visibilis atque per- petua. 181. DIFFICULTATES. 186
PROP. V. Hinc sola Ecclesia catholica est vera Ecclesia Christi. 194. DIFFICULTATES. 201
PROP. VI. Quicumque quovis tempore spiritus privati jacta sectando sese opponit Ecclesie catholice magi- sterio, rebelles sunt, sectarii et novatores. 206
DIFFICULTATES. 210
PROP. VII. Quoad eos, qui auctoritatem rejiciunt cat- holicæ Ecclesie, ut spiritus privati jacta sectentur, nulla datur vera fides, sed opinio tantum, vel delirium. 214
DIFFICULTATES. 221
PROP. VIII. Hæretici et schismatici declarati extra Christi Ecclesiam sunt. 225. DIFFICULTATES. 228
PROP. IX. Protestantismi origo ac variae phasés ipsius arguunt falsitatem. 231. DIFFICULTATES. 240
PROP. X. Sterilitas protestantis in suis missionibus apud infideles novum est ipsius falsitatis argumentum. 244
DIFFICULTATES. 252
PROP. XI. Culpabiliter in hæresi vel schismate vel in- credulitate ex hæc vita decedentibus nulla salus esse potest, seu extra Ecclesiam catholicam nulla datur salus. 235
DIFFICULTATES. 241
PROP. XII. Tolerantia religiosa est impia et absurda. 263
DIFFICULTATES. 269
Conclusio. 277-278
TRACTATUS DE DEO EJUSQUE ATTRIBUTIS. 283-286
PROCEMUM. ibid.
PARS PRIMA. DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS GENERATIVIS. 287-288
CAPUT I. DE DEI EXISTENTIA. 287
PROP. I. Deus existit. 291
DIFFICULTATES ADVERSUS ARGUMENTUM DEDUCTUM EX ENTE NECESSARIO ET RERUM CONTINGENTIA. 293
DIFFICULTATES ADVERSUS ARGUMENTUM PHYSICO-THEO- LOGICUM. 30
DIFFICULTATES ADVERSUS ARGUMENTUM MORALE. 310
CAP. II. DE DEI UNITATE. 316
PROP. I. Deus unus est. 319. DIFFICULTATES. 320
PROP. II. Ethnici vel polytheisano proprie dicto vel idololatrico cultu absoluto vel passim utroque simul su- commaculantur. 324. DIFFICULTATES. 328
PROP. III. Absurdum est dualistarum systema, ac ma- lorum origini explicandæ impar. 333
DIFFICULTATES. 340
CAP. III. DE ESSENTIA DEI EJUSQUE PERFECTIONIBUS GENERATIVIS. 343
PROP. I. In Deo sunt omnes perfectiones. 348
PROP. II. Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter. ibid.
DIFFICULTATES. 350
PROP. III. Essentia Dei metaphysica videtur consi- tuenda in eo quod sit ens a se ac indep. ens, seu in exi- stentia a se. ibid.
PARS ALTERA DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGULATIVIS. 351-352
CAP. I. DE SIMPLICITATE DEI. 355
PROP. I. Deus est omnino simp. lex. 356
PROP. II. Absurda et hæreticalis est sententia eorum, qui Deum corporeum esse censent. 357